



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ

Pichler, Vitus

Augustæ Vindellicorum, Anno MDCCXIII.

§. 4. Romani Pontifices fuerunt, adhuc sunt, & erunt isti Successores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39374

tiae internum, & assistentiam, quam praestat suo Vicario) 3. Ecclesia est aedificata super Petrum tanquam fundamentum: ergo ne subtrahendo fundamentum ruat Ecclesia, debet fundamentum perpetuo durare in Petri Successoribus.

20. Ob. In Scriptura S. non fit ulla mentio de Successore Petri: ergo nullus ruit. R. Quamvis explicite nulla fiat mentio, tamen per claram consequentiam inde deducitur, cum Scriptura dicat, *Portas inferi nunquam prevaliturus adversus Ecclesiam, Ecclesia au-*

tem non possit esse acephala seu sine Capite, ut monstravimus. Unde ea, quae Petro tanquam Vicario Christi dicta legantur, etiam intelligenda sunt de ejus Successoribus. Dices ergo etiam hoc intelligendum est de Papa, quando Christus ad Petrum dixit: *va-*
de post me Sabana. R. N. illatum; quaedam enim dicta sunt Petro, ut est persona privata, quaedam vero ut est persona publica & Ecclesiae Caput, uti: *confirma fratres tuos, pascere oves meas* &c. Illa non spectant ad Successores, bene tamen ista.

§. IV.

Romani Pontifices fuerunt, & adhuc sunt illi Successores D. Petri in Primatu, & supremo totius Ecclesiae Regimine.

21. **P**robatur 1. Debit semper & adhuc debet aliquis succedere D. Petro in supremo totius Ecclesiae Regimine, ut patet ex §. precedente: sed haec non successit, nec hodie succedit alius, quam Romani Pontifices: ergo isti fuerunt, & adhuc sunt illi Successores D. Petri &c. *Minor* probatur partim negative, partim positive: *Negative* quidem, quia nullus alius fuit unquam agnitus pro Successore D. Petri in supremo totius Ecclesiae Regimine; quamvis enim Episcopi Antiocheni successerint D. Petro in *Episcopatu* Antiocheno, non tamen successerunt in *Pontificatu*; quia S. Petrus, quamvis fuerit etiam Episcopus particularis Antiochenus, tamen Pontificatum non ibi *habuit*, sed postquam desertit Eccle-

siam Antiochenam, & sedem fixit Romae, secum transtulit Pontificatum, eumque reliquit in Sede Romana, quam exivit ad dignitatem Pontificiam. Unde eadem *Minor* probatur etiam positive: ille succedit Petro in Pontificatu seu in supremo Regimine, qui succedit in illa Cathedra, quam Petrus ad Pontificatum exivit, & quam Petrus moriens tenuit: sed in hac Cathedra succedunt, semperque successerunt soli Romani Pontifices, quia Petrus in fine vitae fuit Episcopus particularis Romae, & simul universalis Pontifex totius Ecclesiae; nam ante mortem nunquam deposuit Pontificatum, seu supremum ac Universale Regimen. Et haec utique causa fuerit, quod Episcopo Romano semper primas dedit Antiqui-

tas, non Antiocheno, non Alexandri-
no; quæ dua Ecclesia, utpote etiam à
D. Petro fundata, semper habita sunt
Patriarchales in honorem D. Petri: ad
quam dignitatem primùm evecta est
suecessu temporis Jerosolymitana, &
Constantinopolitana ex quodam privi-
legio.

2. 2. Probarur 2. ex auctoritate, quam
Romani Pontifices semper exercuerunt
non tantum in fideles qualescunque,
sed etiam in Episcopos per reliquum
Orbem existentes. Nam 1. Romani
Pontifices statim post obitum S. Petri
pro alijs Nationibus, sicut & ipse Petrus,
ordinarunt, constituerunt, vel confir-
marunt saltem Episcopos, uti & hodie-
dum confirmant; sic Linus, & Cle-
mens, singuli leguntur ordinasse 15.
Episcopos, utique non tot pro Urbe, &
ditione Romana. 2. Deposuerunt
Episcopos male pascentes, alios verò à
suis subditis inique dejectos restitue-
runt; sic teste Bellarmino deposuerunt
omnino octo Patriarchas Constantino-
politanos. 3. Leges dederunt alijs
Episcopis, uti S. Leo Episcopis Cam-
paniæ, Piceni &c. & plenum est Cor-
pus Juris Canonici legibus & ordina-
tionibus Romanorum Pontificum pro
omnibus mundi diæcesibus. 4. ex-
communicarunt personas Augustas,
Regias, Archiepiscopos, Episcopos:
sic Victor I. excommunicavit omnes
Episcopos Asiaticos, eò quòd nolent
acquiescere Decreto de celebratione
Paschatis. 5. ad Romanos Pontifices,
tanquam ad supremos Judices, fuit
semper appellatum, ab ipsis nunquam
fuit permilla appellatio ad alium Epi-

scopum, ut adeò Concil. Rom. Ge-
nerale VIII. sub Adriano II. ferè per
totum doceat, præsertim in libel-
lo supplici ad Hadrianum Papam,
& can. 13. Romanum Pontificem de
omnium Ecclesiarum Præsulibus judi-
casse, de eo verò quemquam judicare
non posse. 6. damnarunt ortas here-
ses, & præfederunt Concilijs; sic Cor-
nelius Episcopus Romanus in Conc.
Rom. anno 254. damnavit heresim No-
vatorum, & ejus in Pontificatu Succes-
sor Stephanus reproboavit Concil. Char-
tag. & anno 258. contra S. Cyprianum
aliosq; Episcopos Africanos definivit,
baptizatos ab hæreticis non esse rebapti-
zandos. Vid. Baron. ad annum 258.
Unde

Prob. 3. Ex perpetuo & communi 23.
sensu fidelium; Conciliorum Genera-
lium, SS. PP. & Imperatorum Christia-
norum. Concilium Nicænum, ex Ge-
neralibus primum, can. 39. p. 356.
edit. Colon. jam sic declarat: *illo,*
qui tenet Sedem Roma, Caput &
Princeps est omnium Patriarcharum,
quandoquidem ipse est primus sicut
Petrus, cui data est potestas in omnes
Principes Christianos, & omnes po-
pulos eorum, ut qui sit Vicarius Christi
D. N. super cunctos populos, & cun-
ctam Ecclesiam Christianam. Et qui-
cunque contradixerit, à Synodo ex-
communicatur. Arrigite aures & ani-
mum h. Sectarij. Et Romanum sub Adr.
II. cit. act. 3. *Retro, olimque semper,*
tum hereses & scelera pullularent, no-
xias illas herbas & zizania Aposta-
lice Sedis (Romana) successores extir-
parunt. S. Opatus Milevit. l. 2. contra
Pai.

Parmentianum ait: *negare non potes, scire te, in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederis omnium Apostolorum caput Petrus &c. Petro successit Linus, Lino Clemens &c.* S. Athanas. in ep. ad Marcum Papam scribit: *optamus, ut à vestra sancta Sedis Ecclesia auctoritate, quae est Mater & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium percipere &c.* Ex Imperatoribus Valentinianus in ep. ad Theodos. quae habetur inter praeambulas Conc. Chalced. sic scripsit: *Debemus dignitatem propria venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romana Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes Antiquitas contulit, locum habeat de fide & sacerdotibus judicandi.* Et ante hunc Constantinus M. *Roma Principatum Sacerdotum, & Religionis Caput ab Imperatore Caesari constitutum esse.* Vid. Acta Concilij Niceni. Graecorum epistola in Conc. Chalced. Leonem Episcopum Romanum jam saeculo V. appellarunt *Sanctissimum & Beatissimum Universalem Archiepiscopum.* Accedat testimonium ex ore inimici. Calvinus l. 4. Inst. c. 7. s. 5. ita fatetur: *nullum fuit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Ecclesias appetiverit: ergo etiam primi, & (juxta Adversarios etiam) sancti Pontifices Romani judicaverunt, sibi ex institutione Christi competere imperium; alias utique non appetivissent.*

Jam sciscitor ex te, Lutherane, Cal-

vinista, aut quisquis Romano Pontifici Primatum & supremam ac universalem in omnes fideles potestatem negare audes: potestne esse credibile prudenter, Episcopos, & Principes Christianos, SS. Patres, Doctores, Pastores, sanctissimos quosque, & Christi fideles omnes (exceptis iis tantum, quos tu etiam inter haereticos numeras) ita olim fuisse fascinatos, ut ab uno Episcopo Romano paterentur se mitti sub jugum, eum venerarentur tanquam Christi Vicarium, ejusque sententiam circa res fidei & morum adorarent ut oraculum, idque tot saeculorum decursu, in tanta hominum varietate &c. nisi divino magisterio edocti ex gravissimis causis cognovissent, Romanos Pontifices esse successores D. Petri in Primatu & regimine supremo totius Ecclesiae?

Quaeres 1. An Romanorum Pontificum successio in Primatu Petri sit Juris Divini? R. 1. D. Petrum habere semper aliquos in Primatu successores *Jure Divino* seu ex ordinatione Christi, certum est & de fide. R. 2. pariter certum esse, quod haecenus nullus alius successerit in suprema & Universali Ecclesiae gubernatione seu in Primatu Petri, quam Episcopi Romani. Clarent haec ex dictis. An vero Pontificatus ita annexus sit Jure Divino Episcopatu Romano, ita ut alius Episcopus v. g. Coloniensis, Augustanus &c. eligi non possit in summum Pontificem, certum non est esse de fide; R. tamen 3. id esse probabilius; quia SS. PP. & Concilia Romanum Pontificem absolute vocant Christi Vicarium ex institutione

24

tionē Christi; nam Marcellus I. in ep. ad Antiochenos scribit, *jubente Domino* Petrum Antiochiā Sedem transtulisse Romam. Et Concil. Lateran. sub Innoc. III. can. 5. Ecclesiam Romanam appellat *disponente Domino* fidelium omnium Matrem & Magistram. Aliud verò Lateranense sub Julio II. ait, Ecclesiam Romanam *Divina institutione* obtinere Primatum. Accedit, quòd in formula Professionis fidei facta à Piò IV. (utique etiam pro futuris sæculis) profitemur, *Romanam* Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem esse, & Romano Pontifici obedientiam spondemus. Et certè nisi fideles judicassent, Sedem Pontificiam esse annexam Romæ Jure Divino, non tam constanter hunc summum honorem, quem tamen aliæ Sedes, præsertim Constantinopolitana, avidissimè ambiebant, Episcopo Romano detulissent, etiam inter gravissimas persecutiones Imperatorum Gentilium (qui Romæ per 300. ferè annos residebant) Hunnorum, Wandalorum, Longobardorum &c. Romam excindere & Romanos Episcopos delere totis viribus conantiū.

24. Quæres 2. Qualis requiratur electio, ut aliquis sit legitimus Episcopus Romanus, & consequenter Summus Pontifex? R. Jure Divino nihil est determinatum circa modum eligendi, sed relictum id est Ecclesiæ. Unde factum, ut Pontifices diverso modo fuerint electi. Nunc eliguntur à Cardinalibus, ita ut post Alexandrum III. in unum conspirare debeant duæ tertiæ suffragiorum. v. g. ex 60. Cardinalibus 40. conspirare debent in unum. Cæterum primæ electioni, à Cardi-

R. P. Piebler Theol. Polémica.

nalibus (vel quibuscunque) facta succedere debet altera, scilicet acceptatio totius, vel ferè totius Ecclesiæ; quod fit, quando vel nemo contradicit electioni factæ, vel tantum pauci, itque tam levis auctoritatis, ut prudenter dubitari non possit, quin à reliquis omnibus fidelibus approbata sit. Quæ acceptatio est quasi confirmatio electionis primæ, aut potiùs altera & absoluta electio, quæ supplet omnem defectum Juris Humani, ita ut contra Pontificem taliter acceptatum nulla possit fieri exceptio circa impedimentum Juris Humani. Utrum autem sit *Articulus fidei*, Pontificem taliter acceptatum, non laborare impedimento *Juris Divini*, & esse *verum* Pontificem, & non tantum putativum, controversa est etiam inter Catholicos Doctores. Plures probabilissimè affirmant, præsertim Doctores nostræ Societatis. Id saltem de fide est juxta omnes, quòd Pontifex taliter acceptatus sit *infallibilis*, si aliquid definiat, etiàm si contingere possit, ut tantum putativus esset. Spectabit igitur ad Providentiam Divinam non permittere, ut aliquis à tota Ecclesiæ acceptetur pro vero Pontifice, qui tamen non sit mas, aut baptizatus, aut alio impedimento Juris Divini laborans: aut si hoc permittere possit, impedire debet, ne aliquid definiat pro articulo fidei: aut si etiam hoc fortè permittere possit, debet ipsum reddere infallibilem circa ejusmodi definitionem, ne scilicet in errorem inducatur tota Ecclesiæ, quæ tenetur sequi doctrinam summi Pontificis, quem putat bona fide esse legitimum.

X

Sol-

Solvuntur Objectiones.

26. Ob. 1. S. Petrus nunquam fuit Romæ, saltem Episcopus: ergo Pontificiam Sedem non fixit Roma: ergo Romani Episcopi non sunt ejus Successores. A. prob. tum quia in SS. Litt. ris nihil legitur de profectione Romana Petri, tum quia Auctores non conveniunt de tempore, quo Petrus venerit Romam, tum quia Paulus longissimam scripsit epistolam ad Romanos, quod necessarium non fuisset, si Petrus fuisset Romæ; aut saltem Paulus per suam epistolam, quam scripsit ad Romanos, salutasset Petrum: ergo.

R. N. A. D. Petrum vixisse & mortuum esse Romæ Episcopum tam communis semper fuit omnium Historicorum, SS. Patrum & fidelium sensus, ut non minus impudens ac stultus censeri poterit, qui negasset, quam qui negaret, Julium Cæsarem existisse Romæ, & quidem primum Imperatorem; aut Lutherum existisse Wittenbergæ, & desecisse à fide Catholica. Audiatur unicus Eusebius in Chronico, Anno 44. ubi sic scribit: *Petrus natione Galilæus Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium predicans 25. annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat.* Eundem venisse Romam, & ibi crucifixum esse clatis terminis dicit ad finem l. 2. & ad initium l. 3. Hist. Eccles. Non obstante autem hac universali Patrum & Doctorum, quorum ferè ducentorum verba adducit Jodocus Coccius to. 1. l. 7. a. 5. conspuatione Lutherus,

Calvinus, Velenus, & hujus farinae Novatores dubitate aut negare ceperunt; quo fundamento? audire oraculum Lutheri ex tripode: *Omnes historiae testantur, Petrum primum fuisse Romæ Episcopum, sed mera sunt fabulae.* Colloq. Mens. de Antich. Ad probationem dico, argumentum negativum, ab auctoritate peritum, vanum esse, præsertim si adiant graves rationes in contrarium. Utique enim nihil valet hæc argumentatio: Matthæus non meminit Circumcisionis Christi ergo Christus non fuit circumcissus: Gentiles Scriptores nihil meminerunt de Divinitate aut Miraculis Christi; ergo hæc vera non sunt: SS. Litteræ nihil meminerunt de Luthero; ergo Lutherus non existit. Possunt hæc & similia utique innotescere aliunde facti. Auctores non discrepant in ipsa re, sed tantum de circumstantia temporis, quo anno nimirum Petrus venerit Romam; quod substantiæ nihil obest. Sicut nemo propterea in dubium vocat, num Christus sit mortuus in cruce, licet de tempore sit lis inter Auctores, utrum nempe 16. vel 18. anno Tyberij id factum sit. Dum Paulus epistolam scripsit ad Romanos, vel Petrus tunc Romæ fuit absens physice, constituens varias Ecclesias, quod sæpius contigit, vel ipsi Paulus speciales litteras dedit, ut aliqui volunt: fuit igitur causa scribendi ad Romanos, & causa non salutandi Petrum in hac epistola. Denique S. Petrum fuisse Romæ, & ibi suam pri-

primam epistolam scripsisse, colligitur ex hac ipsa Petri epistola, quia in ea legitur: *salutat vos Ecclesia, quae in Babylone collecta est*; nam per Babylon intelligitur Roma figuratiter, ut restatur Papias Apostolorum discipulus apud Eusebium l. 2. Histor. c. 15, cui consonat Apocalypsis, in qua Urbs Romana, qualis erat tempore S. Joannis, nimirum Ethnicis superstitionibus turgida, praesertim c. 17. dicitur Babylon, quam idem S. Joan. ruituram praedixit, nempe quoad Imperium temporale, & Gentilismum.

27. Ob. 2. Successio Romanorum Pontificum non est adeo certa: ergo. Ant. prob. 1. quia nescitur, quis fuerit immediatus Successor D. Petri, dum alij ponunt Linum, alij Clementem. 2. quia multi Episcopi Romani fuerunt simoniae & invalide electi, aut violente intrusi. 3. quia per 74. annos, quibus summus Pontifex residebat Avenione in Gallijs, scilicet à Clemente V. usque ad Gregorium XI. Romae nullus fuit Episcopus 4. quia subinde duo aut omnino tres simul fuerunt Pontifices Romani, uti contigit in schismate illo omnium maximo, quod cepit circa annum 1380. & duravit usque ad Concil. Constantiense fere per 40. annos, in quo Concilio demum sublatum est.

R. N. Ant. Ad probationem 1. dico iterum, non esse incertum aut controversum apud Auctores, an aliqui, & quidem Romani Pontifices successerint D. Petro, neque lis est, an aliquis immediatè successerit Petro, in quo omnes conspirant; sed tantum de

R. P. Pichler Theol. Polonica.

tempore, utrum prior Clemente fuerit Linus, ut nobis videtur; quae lis non est de rei substantia. Ad 2. vel ejusmodi Pontifex illegitimè electus aut intrusus postea fuit acceptatus ab Universa Ecclesia, vel non? si prius, uti saepius factum est, cum Ecclesia judicaverit, melius sibi esse habere Caput etiam malè constitutum, quam nullum, & tunc factus est legitimus Pontifex per hanc ultimam electionem: si posterius contigisset, Sedes Pontificia fuisset vacua usque ad novam electionem. Ad 3. Pontifices in Gallia residentes fuerunt veri Episcopi & Pontifices Romani, cum non sit de essentia Episcopalis jurisdictionis residentia personalis. Nec alius interea electus aut habitus est pro Episcopo Romano, quam Pontifex Avenione existens. Ad 4. In ejusmodi caestis schismatuna casibus fuit semper unus verus Pontifex, licet non omnibus satis cognitus; si autem nullus re ipsa esset verus, Sedes censeretur vacare. Ceterum non est obligatio obediendi Pontificibus dubijs, nec eorum acta valent, nisi confirmentur à Successore Pontifice certo. Neque illi, qui aliquem habent pro Pontifice opinione probabili, qui tamen re ipsa non est Pontifex, falluntur in aliquo fidei articulo, cum de fide non sit, Papam *dubium & probabilem* esse verum Papam.

Ob. 3. Pontifices Romani splendunt divitijs, & ingenti incedunt pompa. 28. ergo non sunt Successores D. Petri, qui fuit pauper & humilis. 2. Aliqui Pontifices Romani fuerunt valde scelerati: ergo non fuerunt Successores D. Petri.

X 2 84

3. Aliqui etiam lapsi sunt in haereses: utique autem homo haereticus non potest esse Pastor & Rector verè fidelium.

R. ad 1. externus apparatus, & gloria Romanorum Pontificum, est res per se indifferens, neque successionem impedit, aut officium Pastorale variat. Imò opulenta, splendor, & potentia, tantæ personæ conveniens, plurimum prodest ad retundendos Ecclesiae inimicos; & sicut initio Christus pauperem Ecclesiam medijs supernaturalibus, miraculis, martyrijs &c. defendit & propagavit, ita postmodum placuit ipsi eam defendere & propagare adminiculo mediorem naturalium, faciendo illam gloriosam, opulentam, potentem: quæ potentia si abfuisset in Episcopis Germaniae, pridem haereticorum avaritiæ in prædam cessissent adhuc plures ditiones & Episcopatus. Quid multis? Opulentiam & gloriam Ecclesiae Christianae, quæ utique maximè splendere debet in Capite, prædixerunt Prophetae, uti Isaias 49. *Et erunt Reges Nutritij tui, & Regina Nutrices tua; vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Ad 2. Christus nullibi legitur Officium Pastorale alligasse sanctitati Personæ, sicut valorem Sacramentorum non alligavit prohibiti Ministri. An Rex, si peccet, definit esse Rex? Nunquid Christus hortatur suos, ut *quacunq[ue] mali Superiores super Cathedram Moysis (Petri) sedentes dixerint, facerent, non autem secundum opera eorum?* Mat. 23. Itaque scelerati Pontifices non quidem sunt Successores Petri & Vicarij Christi quoad exactam vitæ sancti-

moniam; sunt tamen quoad potestatem Apostolicam. Perè sicut sceleratus Sacramentorum Minister, quamvis vitam ducat Apostolis, primis Sacramentorum Ministris, valde difformem, retinet tamen eandem potestatem conferendi Sacramenta, quam habuerunt Apostoli, & habent Ministri sancti, ut nec Adversarij negant. Item sicut Princeps secularis non amittit potestatem *Civilem*, licet vitam ducat sceleratam & *civilibus* moribus non honestam. Cæterum fuerunt valde pauci Pontifices scelerati in tanto numero Sanctissimorum & laudatissimorum Præsulum; & plurima ipsis affinguntur ex odio aut invidia ab haereticis, & malevolis. Ac insuper hi ipsi Pontifices, quos aperte culpamus propter sua scelera, meliores tamen fuere, quam Auctores adeoque optimi Lutheranorum, Calvinistarum &c. quia nullus ex ijs paucis Pontificibus, qui peccato luxuriæ v. g. infames erant, contra votum Religiositatis & perpetuæ Castitatis publicas nuptias celebravit, nullus suas turpitudines approbavit, & potestatem concessit violandi vota Castitatis, atque ad id alios animavit; uti tamen fecere impiissimi Lutherus & Calvinus, eorumque sectæ, qui inter primipilos habentur à Sectarijs. Cur haeretici semper eructant turpem paucissimorum Pontificum vitam, & dissimulant 34. Martyres, 42. Confessores, publico Ecclesiae iudicio Sanctis annumeratos, & plerisque alios saltem bonos & laudabiles? scilicet delectantur sordibus. Etiam si sedens super Cathedram Petri malus sit, tamen officium est sanctum, & ipse permanet

permanet esse Successor D. Petri, & rectè vocatur *Santissimus* ratione Officij, quod gerit. Ad 3. Vel Deus nunquam potest permittere, uti hæcenus probabiliter nunquam permisit, ut Pontifex, etiam ut homo privatus, cadat in hæresim, ut cum Bellarm. docent multi, vel si permitteret Deus, ita ut esset notoriè hæreticus & contumax, talis Papa definirer esse Papa, & Sedes Pontificia inciperet vacare, sicut per mortem naturalem Pontificis contingit. Si verò esset hæreticus occultus, nihil obesset Ecclesiæ; Deus enim nunquam permittere posset, ut suam hæresim proponeret Ecclesiæ tanquam articulum fidei.

29. Ob. 4. Paulus loquens de potestate Principum Sæcularium dicit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; ergo etiam Pontifex Romanus: ergo ipse non est supremus Dominus & Gubernator omnium fidelium. 1. Leo IV. Papa petijt à Ludovico Imperatore Judices, quibus se obtemperaturam promisit. 3. Adrianus I. Carolo M. Leo VIII. Ottoni I. concessit jus eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam. 4. Varij Imperatores deposuerunt Pontifices, & alios substituerunt, nominatim Henricus IV. dejecit Benedictum X. & substituit Nicolaum II. Ergo non Pontifices Romani, sed potius Imperatores habent supremam in Ecclesia potestatem. 5. Ipse Paulus Act. 25. *appellavit ad Cæsarem*.

R. ad 1. Paulus ibi non loquitur de determinatè de potestate Sæculari, sed generaliter de omnibus Superioribus, inter quos summus omnium est Papa:

exemplum quidem subjungit de Principe Sæculari, quia Christiani tunc erant accusati alicujus criminis Politici, scilicet seditionis. Ad 2. Leo IV. se tantum subjecit judicio Imperatoris *discrètivo*, quod exercetur sine jurisdictione, non *coactivo*. Ad 3. Adrianus & Leo Imperatori solum concesserunt facultatem confirmandi electionem Pontificis per *defensionis* assistentiam, non per *jurisdictionis* potestatem; quia tunc indigebat Sedes Apostolica præsidio & auxilio Imperatorum contra Longobardos & alios hostes. Si per potestatem jurisdictionis arrogassent sibi Imperatores aliqui Pontificem confirmandi auctoritatem, iniquè fecissent, idque ipsis à nullo Pontifice concessum est, nec concedi potuit. Ad alterum, quod additur, dico, non nisi in *temporalibus* permissum fuisse Imperatoribus *ordinare* Ecclesiam Romanam. Ad 4. Illi Imperatores, qui attentarunt deponere Papas, omnes iniquè & impie egerunt, præsertim Henricus IV. Cur Adversarij non etiam adducunt exemplum Neronis, D. Petro claves cum vita extorquentis, & sic generosà consequentiâ inferunt, Reges & Pontifices subijci Parricidis? Interim tamen ex Imperatoribus Otro I. & Henricus III. aliquo modo excusantur, quorum prior Joannem XII. sceleratum & intrusum Pontificem piò quidem Zelò, sed non secundum scientiam, deposuit, alter verò Gregorium VI. non deposuit, sed persuasit, ut sponte cederet. Ad 5. Paulus appellavit ad Cæsarem tanquam ad *Defensorem* contra vexationes Judæorum, non tanquam ad Judicem competentem:

rema: appellavit ad Tribunal Caesaris tanquam ad asylium, non tanquam ad *forum Judiciale*. Vel appellavit de facto, non de jure; quia alium Judicem non agnoscebant ejus Accusatores.

30. Ob. 5. Gregorius M. quem etiam Calvinus & alij Adversarij *Sanctum* appellant lib. 2. ep. 61. Imperatorem vocat Serenissimum Dominum suum, se verò indignum ejus servum: & obedientiam ei se debere ingenuè fatetur.
2. Idem S. Pontifex titulum *Oecumenici* seu *Universalis* Episcopi acriter improbat l. 6. ep. 30. ubi sic ait: *ego fidenter dico, quia quisquis se Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Anti-Christum praecurrit, quia superbiendo se caeteris praeponit.*
3. In Conc. Nican. can. 8. sic habetur: *constitutum est, ut Episcopus Aegypti, id est, Patriarcha Alexandrinus praesideat, & habeat potestatem totius Aegypti, quia sic convenit, & quia similiter Episcopus Roma, id est, Successor Apostoli Petri potestatem habet omnium civitatum & locorum, qua sunt circa eam, ac similiter Episcopus Antiochenus, id est, Patriarcha potestatem habet provinciarum totius: ergo Episcopus Romanus non habet Primatum in omnes fideles, Episcopos, & Imperatores.*

R. ad 1. S. Gregorius ex speciali submissione & humanitate id fecit, sicuti teste Joanne Diac. l. 4. vitæ c. 58. omnes Sacerdotes *fratres*, omnes Clericos *filios*, & omnes Laicos vocabat *dominos* suos; quis autem dicat, eum

in his agnovisse aliquam Superioritatem & jurisdictionem erga se. Pariter dum preces & petitiones Imperatoris ex humilitate accipiebat tanquam mandata, quibus obedire voluit, non agnovit in Imperatore aliquam potestatem imperandi proprie dictam: sic & de facto saepe profitebatur nos obedituros illis, qui tamen imperare nobis non possunt. Nam Gregorius erat *Pastor*, Imperator *ovis*, nec id Gregorius ignoravit, nec tacuit; nam l. 4. ep. 31. etiam servum Imperatoris se dicat, tamen addit, Imperatorem debere reverentiam Sacerdotibus exhibere: quod certè non Superioris, sed Inferioris est. Interim Gregorius causam habuit tam humiliter loquendi & scribendi Imperatori; cum iste ex permissione Divina suae potestatis jura transcendens nimium sibi tribueret in Ecclesiam, & Ecclesiae Praesules, ex altera verò parte Gregorius vaide indigeret ope ac amicitia Imperatoris adversus Longobardos Ecclesiae acerrimos hostes. Deinde illis temporibus etiam Imperatores aliqui, ut dixi, nimiam sibi auctoritatem in Romanum Pontificem arrogabant: nam postquam Herulorum & Italia Reges, cum primis Odoacer, & Theodoricus Arianus, turbare ceperunt electionem liberam Romani Pontificis, postmodum Reges Gothorum, & tandem malum exemplum pari tenore secuti sunt Imperatores Romani, cum primis Justinianus, qui electos Pontifices tyrannicè coegerunt confirmationis titulo certam pecuniam summam dissolvere: quam tamen praetensionem velut iniquam rursus abrogarunt alij Imperatores, nempe Constan-

tinianus

tinus Barbatuſ, Ludovicuſ Piuſ &c. Et cū poſtea anno circiter 963. Otho Magnuſ ejuſque filiſ junior haſ tricaſ deniq ſuſcitarent, ruruſ eaſ abrogavit S. Henricuſ ex Duce Bavariæ Imperator. Et hæc Imperatorum arrogantia & viciliſtudo multas turbas ac bella inter Pontifices ac Imperatores ſuſcitavit, cū Imperatores ſuoſ clientuſ per vim intrudebant, quos recuſabat Cle- riuſ Romanuſ; donec tandem Cardinaliuſ Cæruſ prævaluit circa annum Chriſti 1143. liberè eligendo Cæleſtiniuſ II.

Ad 2. Gregoriuſ improbat tituluſ *Univerſaliſ* in illo, cui non competit, & qui ex ambitione eum ſibi tribui contendit, uti fecit Episcopuſ Conſtanti- nopolitanuſ Joanneſ, quem propterea reprehendit. Pro ſe autem & in ſe non admittit hunc tituluſ, quamvis competentem, partim ſtudio humilitatiſ, partim quia hic tituluſ intelligi poteſt in aliquo ſenſu falſo, nimirum in hoc, quaſi ille, qui *Univerſaliſ* Episcopuſ dicitur, eſſet ſoluſ Episcopuſ, adempto aliſ omnibuſ honore & nomine Episcopali: in quo ſenſu l. 4. ep. 38. ad Mauritiuſ Imp. ait, nullum Romanorum Pontificuſ uſurpãſſe nomen Episcopuſ Univerſaliſ. In quem ſenſu alibi dicit: *ſi unus Univerſaliſ eſt, reſtat, ut voſ Episcopuſ non ſitiſ.* Interim quantum Gregoriuſ tituluſ Univerſaliſ ex allatiſ cauſiſ renuit, tantum e ipſa in ſe agnovit poteſtateſ Univerſaleſ, & ſe geſſit pro Episcopuſ Univerſali, vel potiùſ Univerſaliſ Eccleſiæ, ſeu pro ſupremo Capite omnium Episcoporum. Siquidem hanc ſupremam

poteſtateſ & Primatuſ exercuit in Episcopuſ Sicilia l. 2. indict. 10. ep. 4. in Episcopuſ Africa ep. 32. in Episcopuſ Gallia l. 7. indict. 2. ep. 112. in Episcopuſ Dalmatia l. 5. ep. 26. in Episcopuſ Hiſpania l. 11. ep. 50. in Episcopuſ Græcia l. 5. ep. 7. ubi ſignificat Episcopuſ Epiri, *ſe cuncta privilegia Andrea Episcopuſ confirmãſſe, quaſ prædeceſſoreſ (Romani Pontifices) ejuſ prædeceſſoribuſ contulerunt.* Et l. 7. ep. 63. ad Joanneſ Episcopuſ Syracuſanuſ ſic ſcribit: *de Conſtanti- nopolitana Eccleſia (quaſ tamen omnium maxime ſe ſubtrahere moliebatur juridi- ctioni Romani Episcopuſ) quiſ eam dubitet Apoſtolica ſedi eſſe ſubjectam? quod & Dominuſ piſſimuſ Imperator, & frater noſter Eufebiuſ ejuſdem civitatiſ Episcopuſ aſſidue profiterur.* Denique idem Gregoriuſ non tantum exercuit Primatuſ in totam Eccleſiaſ, ſed eundem clarè aſſeruit: nam l. 7. indict. 2. ep. 69. ait: *Sine Apoſtolica ſediſ authoritate atque conſenſu nullat, qua- cunque acta (in Synodo) fuerint, viroſ habent &c. Si quiſ ſeriuſ ſententia aliqua in parte neglexerit, a B. Petri Apoſtoloruſ Principiſ pace ſe noverit ſegregatuſ.* Et in Pſal. 4. Pœnitentialem: *Simoniacuſ Rex in tantum ſue temeritateſ extendit veſania, ut caput omnium Eccleſiaruſ Romanam Eccleſiaſ ſibi vendicet, & in Domina Gentiuſ terrena juſ poteſtatiſ uſurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc B. Petro Apoſtolo ſpecialiter comiſiſt, dicens: Tibi dabo Eccleſiaſ meam.* Vid. Serrariuſ à p. 372. Demum in epist. de privill. conceſſo Monafterio S. Me-

S. Medardi clarè pronuntiat: *haec Sedes Romana speculationem suam toti Orbi indicit, & novas constitutiones omnibus mittit.* Nunquid haec Universalem potestatem indicant? Ad 3. Ibi solum declaratur, Episcopum Romanum non tantum in districtu Romano suae dioceseos particularis esse Episcopum, sed etiam esse Archiepiscopum & Patriarcham pro certo districtu, scilicet pro Occidente: cum quo Patriarchatu, cui similis erat Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Jerosolymitanus, stat simul potestas Universalis in totam Ecclesiam competens ipsi tanquam Capiti à Christo constituto, & tanquam Pastori omnium Christi ovium; sicut cum Episcopatu stat dignitas & potestas Archiepiscopalis & Patriarchalis in inferioribus Papae Episcopis.

31. Ob. 6. Circa annum Christi 850. inter Leonem IV. & Benedictum III. aliqua femina fuit Papa, dicta Joannes VIII. Sed hoc modo fuit interrupta successio Pontificum, & tota Ecclesia erravit acceptando Pontificem, impedimento Juris Divini laborantem.

R. haec est decantata fabula, tum quia Historici illius temporis, & valde vicini, qui tamen ex professo scribebant seriem Pontificum, ut Anastasius Bibliothecarius, Ado Viennensis, Regino Abbas, Otto Frisingensis, Abbas Urspergensis &c. nullam prorsus mentionem hujus rei faciunt, asserentes, post Leonem IV. statim intra paucos dies electum esse Benedictum III. Illi autem Historici, qui ex Catholicis de Papa femina meminerunt, primum post aliqua secula vivebant, uti Maria-

nus Scotus, Sigebertus, & Martinus Polonus, qui insuper non pro certo asserunt, sed *dubio*, adhibendo hos terminos, *dicitur, fama est.* Præterea isti Auctores in alijs rebus Historicis saepe convincuntur errasse vel ex simplicitate, vel ex fraude Schismaticorum, Casari contra Pontificem nimis faventium, ut erat Card. Benno, vel à malevolis corrupti. Quibus plus credendum? Tum quia in circumstantijs hujus fabulae, per se incredibilibus, Adversarij sibi turpiter contradicunt, v. g. de hujus feminae nativitate, nomine, studijs, partu &c. Neque dicas, nostrum fundamentum negandi, quod Papa fuerit femina, esse negativum ab auctoritate petitum, quod diximus inefficax esse. Nam non est pure negativum, sed simul etiam affirmativum, in quantum memorati Auctores synchroni scripserunt tale quid, cum quo stare non potest Papa Joannissa. Certè si fuisset hæc Papissa, debuissent illius mentionem facere, quia spectasset per se ad historiam, cum ex professo scripserint successionem Pontificum. Deinde etsi revera irrepisset femina, tamen propterea non fuisset interrupta successio Pontificum, sed tantum vacasset Sedes per unum aut alterum annum, quibus præfuisse fingitur hæc femina. Præterea non est definitus fidei articulus, non posse irreperere Pontificem putativum, impedimento Juris Divini laborantem. Denique cur Sectarij nobis objicere præsumunt feminam Papissam, cum tamen Calvinistæ in Anglia aperte agnoscant pro Capite Ecclesiae suae, & Lutherani mortuis Regibus & Electoribus &c.

Regi-

Regimen Ecclesie transferant ad superstites eorum Uxores ?

52. Ob. 7. Papa est Antichristus : ergo non est Successor D. Petri. Ant. prob. 1. quia Papa est valde superbus, & ostendit se tanquam Deum, se extollendo super Imperatores & omnem potestatem humanam. 2. Quia facit falsa miracula Laurenti, Oettingæ Veteris &c. 3. Quia Suis imprimit characterem Antichristicum, scilicet per unctionem in Sacramento Confirmationis. 4. Quia Papa sedet in *Templo Dei*, scilicet in Ecclesia Christi. Hæc enim sunt genuina signa Antichristi.

R. Vel Adversarij nomine Antichristi intelligunt illum Magnum, quem recipient Judæi Jo. 5. & tribus annis cum dimidio persequetur Ecclesiam Dan. 7. & Apoc. 12. quem Paulus vocat hominem peccati, non venturum, antequam dissolvatur & de medio fiat Romanum Imperium 2. Thess. 2. qui primum veniet in fine Mundi Mat. 24. Qui negabit, Jesum esse Christum 1. Jo. 2. qui se asseret verum Messiam Jo. 5. qui coli cupiet pro Deo. 2. Thess. 2. ? Et iste Antichristus *Magnus*, quem communiter intelligimus prolata voce *Antichristus*, evidenter non est Papa, tum quia Papa non est persona singularis, sed sunt plures continua successione, tum quia nihil ex signis hujus Antichristi convenit Romanis Pontificibus, cum nullus neget Christum, nec ullus se dicat Messiam, aut Deum &c. Ut adeo non putem, ullum unquam fuisse hæreticum, vel Lutheranum, Calvi-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

nistam &c. adhuc ratione utentem, qui revera crediderit aut credat, Papam esse hunc *Antichristum Magnum*, pro quo eum haberi cupiunt ab imperita plebe. Vel nomine Antichristi intelligunt omnes illos, qui adversantur Christo, falsa docendo, ut fuerunt hæretici, aut Ecclesiam Christi persecuendo, de quibus S. Joannes dicit : *nunc Antichristi multi sunt.* c. 2. v. 18 ? Et tunc non Papa, sed illi, qui ab Ecclesia egressi novam doctrinam tradunt (verbò omnes Apostata) Antichristi sunt, & appellantur à S. Joanne, quia statim post citata verba subjunxit : *ex nobis prodierunt* (ab Ecclesia defecerunt) *sed non erant ex nobis.* Nos non ex ipsis, sed ipsi prodierunt ex nobis, seu defecerunt. Si autem nomine Antichristi intelligant quosvis perversos homines, plures longè apud se Antichristos, magni illius Antichristi præambulones, reperient, quàm apud nos.

Ad probationem 1. Non ex superbia se ipsum extollit Papa supra Imperatores & omnem potestatem humanam, sed à Christo ita extollitur, utpote constitutus super omnes oves Christi, inter quas utique etiam numerari cupiunt Principes & Imperatores Christiani. Deum autem minimè se facit Papa aut Christum, quia hunc adorat tanquam unum verum Deum, cujus se Vicarium novit. Quare Adversarij eminentiam summi Pontificis interpretantur pro superbia, quam ipsi Christus contulit, & omnia malignè corradiunt, quæ speculationis habent, dissimulantes interima-

Y 7

cla-

clara humilitatis indicia. v. g. dum se vocat servum servorum Dei, dum pauperum lavat pedes & osculatur in Cœna Domini, dum visitat hospitales aedes &c.? Ad 2. Non Papa, sed Deus facit illa miracula ad intercessionem B. V. ad ejus statuas, quæ miracula nec falsa, nec illa sunt, quæ sicut patrabat Antichristus. Apoc. 13. Ad 3. Character Antichristicus erit sensibilis, omnibusque ejus affectibus necessarius, ut emere possint & vendere &c. Apoc. 13. & 14. talis autem non est Unctio Christum in Confirmatione, nec alius ritus Pontificius. Ad 4. Etiam D. Petrus sedet in Ecclesia Christi: an ergo & ipse fuit Antichristus? Deinde si Pontifex Romanus sedet in Ecclesia Christi, tunc Ecclesia Romana erit Ecclesia Christi; ergo Sectarij non sunt in Ecclesia Christi. *Per templum Dei* D. Paulus non intellexit Ecclesiam Christi, sed templum Jerosolymitanum, quod ad hanc impietatem restaurabitur, ut dicunt multi Interpretes in c. 9. Danielis.

33. Obijciunt 8. iterum aliquorum Pontificum scelera (non enim facile vel trium foliorum Scriptorem ex modernis Sectarijs reperies, qui non rimetur sordes, & vitam Pontificum jugillet, utique cum desint argumenta solida) præsertim reos agunt Magiæ & Luxuriæ. Sed nullum ex omnibus Pontificibus, ne quidem Sylvestrum I. I. & Gregorium VII. quos maxime accusant, fuisse fædo *Magiæ* crimine infectum, ostendit Baronius, præsertim ad annum Christi 999. Quidquid dicat

Benno pseudo-Cardinalis, juratus Romanorum Pontificum hostis, utpote ab ipsis depositus, & qui ab eo decepti perperam descriperunt. Pariter primis 900. annis nullus ex Romanis Pontificibus turpi *Luxuriæ* vitio contaminatus est, primusque fuit Sergius III. quem postea ex omnibus vix ultra quatuor secuti sunt, de turpitudine convicti, qui tamen omnes vel intrusi vel alias non satis legitime electi erant, acceptati tamen postea ab Ecclesia, quæ judicabat, melius esse habere Caput, etiam tale, quam nullum, vel incertum. Quanta autem hæc est gloria Romanæ Ecclesiæ, quod tam pauci ex tanto numero, in tanta impunitate, in tanta proclivitate naturæ, huic vitio succubuerint! si Sectarij, eorumque Praecones, uxoribus juncti, tamen sæpe deprehendantur adulterijs, incestibus, & alijs turpitudinibus contaminati: quid mirum, si in summa libertate constituti paucissimi quidam Principes Ecclesiastici, quibus nullum præter virtutem & timorem Domini remedium est conscientia, aliquando lapsi sint? Quorum tamen lapsus plurimorum Pontificum integerrima & sanctissima vita ita operit, ut nemo, nisi sit impudens filius Cham, turpitudinem Patris revelare audeat.

Ut autem videat Lector, quam pauci existerint criminosi Papæ, placet eorum seriem, qua sibi succedebant, ex Bellarmino & alijs annexere, adjectâ singulis, qui ob publica scelera infames erant, hæc nota O (ab Arithmeticijs *numera dicta*) ijs verò, qui mediocris vi-

ta ac fama, appositò infausta illius nota dimidiò C. illis autem, qui boni fuerunt & laudabiles, litterâ L. denique Sanctis litterâ S; ut uno quasi in-

tuitu cuilibet pateat ad oculum, quinam fuerint Sede Pontificia indigni Pastores, quinam medioeris fortis, quinam laudabiles & sancti.

